



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. XX. Satisfit iterum novis objectionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

ad servandam legem, quam quando ab ea servanda me deobligant.

Sed nec video, quæ virtus prudentis humilitatis sit, subicere iudicium suum potius auctoribus, nec magis doctis, nec majores rationes, sed minores asserentibus, & liberiora suadentibus, quam subicere illud auctoribus aliis, æquè doctis, & notabiliter majores rationes asserentibus, ac legis observationem suadentibus: certè non videtur esse prudentis, illos istis præferre; cum tamen vera virtus humilitatis, etiam prudens esse debeat. Aliud foret, si ego solus contra torrentem sentirem, ob rationes non adeò convincentes; tunc enim possem cogitare, alios esse me prudentiores: at, si sint plures mecum ejusdem opinionis, cur ex humilitate istos deserram, ut & me, & ipsos aliis subiciam?

ARTICULUS XX.

Satisfit iterum novis objectionibus.

389. **O**B. 7. Nostra sententia est nimis rigida: ergo rejicienda. prob. antec. plures leges non dantur, de quibus tamen probabilius est, eas dari; nam etiam falsa quandoque sunt probabiliora veris: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. dist. antec. non dantur aliqua leges, de quibus probabilius est, eas dari. conced. antec. non dantur valde multæ. neg. antec. & conseq. Etiam plures leges existunt, de quibus non habetur major probabilitas: adeoque non debent observari: ergo fit compensatio: imò cum non teneamur servare leges, tam minùs probabiliter existentes, quam æqualiter probabiliter existentes, fit compensatio ultra æqualitatem: ex hac enim benignitate DEI, nos in his duobus casibus non obligantis, sit, ut frequentius solvamus legibus existentibus, quam stringamur non existentibus, & elucet major bonitas DEI in remittenda, quam rigor in exigenda legum observantia.

390. Dices. Nostra sententia est causa peccatorum formalium: opposita autem tollit occasionem peccatorum formalium, & tantum est causa aliquorum peccatorum materialium: ergo ista est præferenda. Resp. si tollerentur omnes leges, illæ etiam, quæ de facto sunt certæ, adhuc minor foret occasio peccatorum formalium. In forma dist. antec. nostra sententia est causa per se peccatorum formalium. neg. antec. est causa per accidens. conced. antec. & neg. conseq. Quod enim, homines nollint servare legem Divinam, culpa non est legis, aut DEI, sed malitiæ hominum, in cujus gratiam leges non debent tolli. Aliud est, si per nostram sententiam imponeretur onus humanæ fragilitati nimium, quod tamen planè non fit; est enim valde moderatum, debere tantum obligationem vereri, quando notabiliter probabilior est: Si autem etiam obligationem æqualiter probabilem deberemus attendere, tunc utique esset major difficultas *ex n. 327.* Cæterum non debet quæcunque occasio per accidens tantum peccati à legislatore caveri: & præsertim, si eà amotà sequeretur nimia laxitas disciplinæ, vel inutilitas legum.

391. Dices 2. Deberet juxta nos semper

indagari, quænam sententia esset notabiliter probabilior, vel certè æquè probabilis, & non sufficeret, scire, esse Theologicè probabilem: sed sic imponimus hominibus grave onus, quod non probamus: ergo. Resp. Etiam juxta adversarios debet semper indagari, an sententia sit verè Theologicè probabilis, & non tantum tenuiter probabilis: & tamen certum est, plures sententias non esse ampliùs Theologicè probabiles, quæ inveniuntur hinc inde in libris, præsertim eorum, qui scripserunt ante decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. Legant, oblectro, adversarii, quæ Cardenas in *sua crisi Theologica* part. 3, tr. 1. disp. 59. requirit, ut quis possit judicare de probabilitate sententiæ: item quæ la Croix l. 1. n. 119. item n. 150. 152. & 165. & non erit multò majus onus in inquirenda probabilitate æquali.

In forma dist. ma. deberet juxta nos indagari, quænam sententia sit absolute æqualiter probabilis. neg. maj. quænam respectivè ad operantem, seu ipsi operanti, sit æqualiter probabilis. conced. ma. & sic dist. min. neg. conseq. hoc enim onus, quæcunque sit (quamvis adversarii valde id augeant) sufficienter probavimus. Dein, ut diximus n. 264. dubius de lege, debet morali diligentia veritatem inquirere: si quis igitur hanc sufficientem adhibuerit, tunc (ut rectè ajunt Ralsler in *synopsis parte posteriore* n. 120. & Kreslinger in *sua dissertatione* q. 3. num. 111) vel percipit, intellectum suum vi rationum satis clarè, ac sensibilibiter ad assensum magis trahi à fundamentis opinionis tutioris, tanquam notabiliter gravioribus, vel non percipit: si secundum, datur moraliter æqualis probabilitas, & licet sequi etiam minùs tutam: si primum, non est ampliùs difficultas in indagando, vel intelligendo, sed exequendo, quam superari debere, nostræ rationes probant.

392. Circa hanc tamen diligentiam, requisitam, ut ignorantia non sit vincibilis, aut imputabilis, imprimis auctores conveniunt, quòd non debeat esse summa; aliàs quis vellet esse confessarius, vel consiliarius? vel quis auderet, aliquid minùs tutum facere? P. Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 4. sec. 8. n. 19. ait, debere esse moralem, qualitati operis, vel ministerii accommodatam, e. g. ut ait, indoctus debet consulere doctos viros, vel peritos ejus rei, & carentes suspitione, quòd ex malitia sint ipsum decepturi. Doctus debet Doctores aliquos evolvere, vel leges ipsas mediocri diligentia inquirere, iisque intelligendis studere: nam neque adversarii dicunt, quòd semper ad habendam veram probabilitatem Theologicam sufficiat, inspicere tantum unum authorem; quia multi, etiam magni viri, quandoque defendunt sententias, modò non ampliùs Theologicè probabiles.

Ubi tamen nota, hanc diligentiam mediocrem, debere esse proportionatam circumstantiis rei, & operantis; ut advertit Suarez *locomodo citato*; nam utique in gravioribus negotiis debet adhiberi major, quam in minoribus: & majorem quoque debet adhibere doctus, quam indoctus; hic enim, ut communiter docent, satisfacit quærendo pro rei gravitate doctos: doctus, ut ait Rhodes *tr. 4. de peccatis* disp. 2. q. 1. f. 1. §. 2. de-

debet diligenter studere, quod idem ait Sanchez l. 1. in Decal. c. 16. n. 36. Munieffa stimulat. 8. n. 4. ait, literaturam debere legere aliquem, vel aliquos libros idoneos, aut consulere aliquem, vel aliquos doctores. Rusticis verò, vel aliis indoctis, ait n. 5. sufficere, si interrogent confessarium, vel parochum. Et hoc utique in ordinariis est verum, ut habent etiam Suarez loc. cit. & Vasquez in 1. 2. disp. 62. c. 8. n. 42. & 43. Munieffa tamen cum aliis recte advertebat, posse utique casum graviores dari, in quo major diligentia etiam ab indocto requiritur, videatur idem auctor à n. 118. ita tamen, ut, quando in casu æqualis probabilitatis negat ulum licitum sententia minus tutam, sciatur, nos ab eo recedere.

Præ aliis tamen hanc questionem contra Elizalde ac Camargo, nimis rigorosos, fusiùs pertractat Ralslerus in norma recti disp. 2. q. 8. a. 9. & eadem terminè ratione de indoctis quidem ait, ipsis sufficere, si à viris probis, ac doctis, sincere consultis, acceperint responsum non ambiguum: & in plerisque sufficere ipsis responsum parochi, vel confessarii; doctis verò sufficere, si consuluerint alios doctores, & maxime, si legerint scripta celeberrimorum auctorum, & ea saltem, quæ in aliis magni momenti negotiis adhiberi solet, diligentia, rationes utrinque ponderaverint. Addit etiam, nunc majorem, nunc minorem requiri diligentiam, pro diversitate personarum, rerum, aut actionum &c. videri meretur ipse auctor hac de re doctissimè differens: ubi obiter noto, ex eodem, quod, quando aliqui antiqui dicunt, indoctum posse sequi opinionem alicujus magistri, ex hoc non inferatur, eos voluisse dicere, quod liceat sequi sententiam minus tutam, ac minus probabilem; nam probabilius est, certè ad minimum æquè probabile, quod rudis possit sæpius absquæ ulteriori inquisitione sequi responsum viri docti.

393. Obi. 8. Juxta nos daretur varietas consiliorum, & unus doctorum, aut confessariorum, diceret aliquid licitum, alius idem diceret verum; sed hæc varietas debet vitari: ergo. Resp. Etiam juxta adversarios admitti debet varietas consiliorum, dum quidam dicunt, sententias quasdam esse Theologicè probabiles, alii negant, videatur tantum Cardenas in suacrisi p. 2. tr. 2. disp. 66. c. 8. in catalogo post art. 9. ubi non unam sententiam improbabilem asserit, quas alii tanquam Theologicè probabiles propugnant. Dein quidam confessarii indocti quandoque dicunt licitum, quod certò est illicitum: nunquid ad vitandam varietatem responsum idem debet affirmare doctior? scilicet in hoc casu poenitens debet credere illi, cujus vel rationem, vel auctoritatem, prævalere bona fide existimat; si hoc non potest discernere, post factam sufficientem diligentiam, utraque sententia ipsi æqualiter probabilis est.

ARTICULUS XXI.

Respondetur denuo aliis Objectionibus.

394. Obi. 9. Juxta nos confessarius non posset absolvere poenitentem,

qui non vellet deferere sententiam, quæ eidem confessario videretur notabiliter minus probabilis: hoc est valde durum: ergo. Resp. hoc non sequi ex nostra sententia; quia, ut rectè ait Munieffa. stimulo 8. n. 110. aliud est, confessarium non posse sequi illam sententiam: aliud, non posse eum, qui illam sequitur, absolvere: & potest esse probabilius istud, quin prius sit probabilius; vel æquè probabile; nam sunt duæ quæstiones diversæ. Hæc responsio sufficeret pro speculatione: at, quia hic casus potest in praxi occurrere, operæ pretium est, eum magis discutere.

Ponamus igitur, poenitentem e. g. nolle resstituere aliquid, eò quod invincibiliter existimet, se non teneri ad restitutionem illius rei ex aliqua ratione, quæ confessario non videtur, nisi notabiliter minus probabilis, quæritur, an possit absolvi. Resp. Si poenitens est homo doctior, vel quasi æquè doctus, ac confessarius, utique debet absolvi; quia potest ipsi videri probabilius, vel æquè probabiliter licitum, quod licere confessario videtur notabiliter minus probabile: & non video, cur talis se debeat hac in re conformare judicio confessarii: de cætero, quia agit bona fide, ut supponitur, est ritè dispositus ad absolutionem.

Si est homo indoctus, sed bona fide credit, se non obligari ad restituendum; quia à doctis, & rei peritis, de quibus nulla suspicio est, eos ex malitia velle decipere, sine ambiguitate audiit, se non teneri, iterum potest absolvi; quia potest illis viris visum fuisse probabilius licitum, quod licere confessario videtur minus probabile: & non est, cur potius poenitens sequatur confessarium, quàm illos viros doctos: Et sanè sententia, quæ confessario videtur minus probabilis, sæpe aliis magnis viris est probabilior, aut certè æquè probabilis.

395. Si autem homo indoctus invincibiliter bona fide judicat, se non teneri ad restituendum; quin doctos consuluerit, confessario autem videatur notabiliter probabilius, quod teneatur, tunc imprimis videndum, an ex admonitione, vel instructione confessarii, fructus sit fecuturus, vel non. Si meritò timeatur, quod, qui nunc materialiter peccat, postea peccaturus sit formaliter, est absolvendus absque eo, quod imponatur ei restitutio; si enim in aliis certis erroribus invincibilibus, ubi admonitio esset potius nocitura, quàm profutura, non est monendus, ut docent gravissimi doctores, quos citat, & sequitur la Croix. l. 6. p. 2. n. 1758. tunc saltem æquali ratione non est urgendus in eo, quod non est certò, sed tantum probabiliter error. Si autem speretur fructus, tunc debet confessarius eum monere, suamque sententiam ei exponere: in qua, si nimiam difficultatem habeat, tandem, meo judicio, potest remitti ad alios, quos consulat, non quærendo laxiores auctores, sed bonâ fide doctos, & pios: quorum judicio, si se statutum promittat, videtur posse absolvi; cum non sit certa opinio confessarii, & ab aliis fors judicandum sit probabilius, quod ipsi videtur minus probabile.

Dices cum P. Thyrsio de recto usu opinionis. probab. dissert. 14. c. 9. §. 4. n. 134. poenitentem subjectum esse confessario, adeoque debere ejus sententiam